

219

217

223

213

228

208

268

168

318

118

Ende

Anfang

parietem cellarii fuit nobis locus assignatus pretiosus, in quo sex homines sufficiens spatium habuissent, sed totus erat tenebrosus et numquam nisi per lumen illatum clarus erat; insuper bassus erat vel demissus, adeo, quod non poteramus stare nisi in genibus, et ita etiam incurvati et flexis genibus ingredi et egredi oportebat ultra quindecim passus ab ostio latrinae usque ad locum nostrum; unde prima fronte de loco contenti non fuimus, quounque experientia didicimus, meliorem locum in tota galea non esse quam illum, pluribus respectibus. Fuit enim locus spatiuosus, quod ultra modum naviganti est conveniens, et fuit calidus locus: quia hiems erat nobis profuit, unde aliquotiens, quando superius sui infrigidatus usque ad stridorem dentium, mox ut in locum nostrum intravi, recalui sicut in stupra. Fuit etiam quietus, quia nemo prope nos locum habuit. Fuit etiam securus ab illapsu aquarum in tempestatisbus. Fuit etiam prope cellare, et poteramus etiam mediis noctibus necessaria postulare et accipere, et omnia, quae per galeam acciderent, audire. Non sic locus dominorum primae societatis erat, qui, ut superius dixi, habebant strictam cellulam in cornu prorae sub malo trincheti vel doli, in qua tempore tempestatum illabebant aquae sine mensura, et funes rudentes et vela traciebant intra et extrahebantur, nec erat ibi quies mari moto, verum tamen alia commoda habebant, quibus nos caruimus, scilicet, quia poterant se erigere et sine incurvatione intrare et exire et in die luce gaudere, qua nos caruimus, et in articulo necessitatis statim poterant in prora esse et pericula evadere. Hoc autem fuit loci nostri maxima incommoditas: si periculum fracturae navis subito accidisset, spem evadendi cum vita alii habuissent, nos vero omni spe frustrati fuissemus, quia, antequam de loco nostro prodiissemus serpendo ad medium mali super laternae foramen, ubi est ascensus, mille vicibus mortui fuissemus, et si illa caussa non esset, credo, quod (146a) domini majores galeae locum illum pro se reservarent, quia tempore tempestatum in loco inquietissimo sunt, sed ad fugam apto. Cum ergo stantiam accepissemus, intulimus supellectilem nostram et lectulos nostros aptavimus, eos super saccos specierum stravimus, qui in superficie jacebant et navem ita replebant, quod non poteramus erecti stare, suspensi etiam sportam longam palmarum ad parietem navis juxta cumbam meam. Nobis autem sic laborantibus in loci ad-

